



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**


**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

[Prooemium.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



# PARS III.

## TRACTANS DUOS LIBROS DE RERUM ORTU, AC INTERITU.

### PROOEMIUM.

**S**icut Libris de Cælo Aristoteles præmisit Auscultatorios, ita de Anima Libros de ortu rerum & interitu: Sicut etiam illi affectiones, & proprietates cum principiis in communi tractant, ita isti communes corruptibilis corporis affectiones, nempe mixtiones ex Elementis & primis qualitatibus, Alterationes, Augmentationes, Nutritiones & tandem, cui reliquæ subserviunt, generationem corporum, cum eorum corruptione; Unde principale & adæquatum objectum Attributionis horum Librorum est Generatio, minus principale omnes enumeratæ corporis generabilis affectiones. Unde refellitur sententia Alberti, qui statuit corpus simplex secundum potentiam generationis, seu, quatenus generat; quia Generatio hic tradita convenit generaliter omnibus, & quia prior est tractatio communium, quam particularium, Aristoteles autem in aliis Libris tractavit de particularibus generationibus, unde censendus est, hos tractasse de generatione in communi. Rejicitur etiam Bannes afferens; Objectum esse Ens mobile ad formam substantialem; seu, ut ipsemet se explicat, ad solam generationem, per accidens de aliis: Refellitur, inquam, Tum; quia nusquam alibi ex proposito tractavit Aristoteles de Augmentatione per se; tum, quia t. 4. simpliciter proponit se tractaturum de Generatione, Augmentatione & Alteratione. Sunt autem hi libri duo, in quorum primo per priora quatuor capita agit de Generatione & Interitu, ac Alteratione: in reliquis vero de Accretione, Augmentatione & mixtione. In toto vero secundo occupatur in consideratione quatuor Elementorum, quatenus ex ipsis omnia alia generantur; Ego autem in tractatione hujus materiæ servabo Naturæ ordinem, & quia ad omnem Generationem Alteratio prærequiritur (Alteratio quædam accidentalis Generatio dicitur) ad hanc autem qualitates prærequiruntur, utpotè cum non fiat, nisi in qualitatibus; Hinc primo agam de qualitatibus primis, hæ enim potissimæ sunt, quæ ad Alterationem, & ipsamet Generationem deserviunt; Postea de Elementis, deinde de Alteratione & mixtione, ac tandem de Generatione, & quæ eam consequuntur. Sitigitur

*F. Amandi Hermann Physica.*

Kkkk

DISPUTA.